post paululum ait. A facie domini. a facie domini omnis terra. Spiritualiter a facie domini mota est terra. quae motio terrae quae
facta est in passione domini. significabat mouenda esse corda terrenorum hominum ad credendum. Qui conuertit petram in stag-
na aquarum. Iudeorum corda durissima conuertit dominus in mollitiem. ut acciperent spiritum sanctum. Secundum historiam de petra
exierunt flumina. Ante quam christus ueniret in carne. non erumpebant adhuc tantae aquae. hoc est tanta doctrina. Per
exierunt de christo quattuor flumina. id est quattuor euangelia. et rupem. id est arida et dura corda gentilium diuinae
loquii manare fecit fontes irriguos. ut ex gentibus fecit manare praedicationem euangelii. Non nobis domine non nobis.
Vox prophetae ex persona iudeorum fidelium siue gentilium. Si quid boni habemus. non nobis des gloriam in hoc. sed nomini tuo.
quia non a nobis accepimus illud. id est meritis nostris. sed propter misericordiam et ueritatem tuam. Super misericordiam id est ueritate. Misericordia domini fuit. quia
uenire dignatus est. Veritas. quia quod promiserat adimpleuit. uidelicet quod in lege et prophetis de sua incarnatione continetur. Ne
quando dicant. g. u. e. d. e. Vox prophetae ex persona martyrum. Dicebant enim persecutores martyrum. ubi est deus uester.
ueniat et liberet uos. Deus autem noster in caelo. id est in angelis ut in sanctis. Vox prophetae in laude dei. Dicunt sancti ad illos infide-
les qui idola adorant. Uos uestros deos de manu tangitis. et oculis carnalibus cernitis. sed noster deus in caelo est sursum. in cae-
lo et in terra omnia quaecumque uoluit fecit. In his qui caelestem uitam imitantur. et adhuc terrena carne clauduntur. Imple-
uit uoluntates suas. Simulachra gentium argentum et aurum. Irridet propheta simulachra gentium. et dominum israhel con-
grua laude concelebrat. Nam quinque uersibus uituperat deos paganorum. decem uero dominum laudat excelsum. Ideo dicit simu-
lacrum quia ad similitudinem alicuius fit. argentum et aurum. Quare non dixit erea aut lapidea. aut lignea. aut fic-
tilia. sed argentum et aurum. quia prouidebat spiritus sanctus. quod cum exinde increparentur. quale responsum darent. Ideo posuit ar-
gentum et aurum. quia dicerent forsitan illi. non adoro ligneum deum. nec lapideum. nec ereum. sed deum aureum et argenteum.
Nam licet inueniantur et erea et lignea et lapidea simulacra. uelut tamen illud elegit. quod gentilitas iudicabat reue-
rentius adorandum. ut erubescerent colere uiliora. quorum et preciosa probantur opera. Opera manuum hominum. quia omnis decor
idolorum in manibus artificum est. Siquidem argentum et aurum de terra fodiunt homines. et colunt illud et colorant. et sic deue-
nit pulcher. Ergo de tuis manibus facis deum tuum quem adoras. Haec omnia ad conuincendos idolatras sunt dicta. Os habent
et non loquentur. et cetera usque in gutture suo. In his namque tribus uersibus uerissima descriptione notati sunt. qui falsis nominibus suis
membra hominum manu assignare uoluerunt. Nam quid opus fuit illi os. qui loqui non poterat. quid oculi. qui conspicere non ua-
lebat. quid aures. qui non erat auditurus. quid nares. qui nullatenus fragrantia sentiebat. Nares autem a gnaritate dic-
tae sunt. quia nos faciunt odoratus agnoscere. Quid manus. qui res palpabiles ignorabat. quid pedes. qui se mouere mi-
nime praeualebat. Et ut talibus rebus augeretur irrisio. addidit. non clamabunt in gutture suo. Bestiae quippe cla-
mant uoce. sed confusus est clamor earum. non enim intelligis. neque potes illas per litteras ut syllabas comprehendere. quomodo uo-
cem hominis comprehendis. Similes sunt in anima illis. id est simulacris. qui faciunt ea. id est simulacra. Sicut enim idola pereunt. ita
quoque obseruatores eorum. Similes quippe illis fiant. qui sequi talia decreuerunt. Nec illud omittendum est. quod fabrica-
tores et cultores huius rei. una percussi probantur esse sententia. Similis est enim iniquitas alios suis operibus decipere et
cultores se pessimus obligare. Debes etiam dicere apostolus. Qui commutauerunt ueritatem dei in mendacium. et coluerunt et ser-
uierunt creaturae potius quam creatori. qui est benedictus in secula. Et omnis qui confidit in eis. id est simulacris. non solum qui
faciunt. sed etiam qui confidit. Domus israhel sperauit in domino. id est xi. tribus israhel. et aaron tribus leui non sperauit in simula-
cris. sed in domino. Domus israhel. id est domus uidentium deum. in domino sperauit. intellegentes illum. Domus aaron. id est ordines
ecclesiae. episcopi. presbiteri. et ceteri. Aaron qui mons fortitudinis interpretatur. eos designat qui fortes et alti sunt in merito. Aa-
ron enim in populo iudeorum primus sacerdos electus est. cuius commemoratione in merito ordo ipse declaratur. Adiu-
tor et protector eorum est. Adiutor enim et protector eis efficitur. cui omnia seruire monstrantur. Adiutor. quia carne la-
borantes in hoc mundo. in quantum utile nouit adiuuat. Protector. quoniam animas sanctas nulla sinit diabolica frau-
de [illegible]. Qui timent dominum. Omnis populus tam iudeis quam ex gentibus. Exposuit quod superius dixit. domus aaron. et
domus israhel. Ipsi sunt enim qui timent dominum et sperant in domino. Duo enim ista sunt. quae beatos faciunt et felices. quasi consequenter
quod superius dixit. ut eis et adiutor sit dominus et protector. Dominus memor fuit nostri. Memor fuit. quando liberauit filios
israhel et nos. mittendo filium suum ad saluationem generis humani. Et benedixit nobis. id est sua benedictione repleuit